



1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.

B. C. D.

SCHEDIASMA MEDICO PRACTICVM

DE

# MORBO DICTO

## NEAPOLITANO

JVSSV ET INDVLTV

## GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

### PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME

CAPESSENDI

IN ALMA ARGENTORATENSIVM  
VNIVERSITATE

AD DIEM 30. APRILIS An. cī Iɔ CCXXXVIII.

H. L. Q. C.

PUBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBJICIT


JOHANNES MICHAEL BOEHM  
ARGENTINENSIS.

---

ARGENTORATI,

Typis, MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.

VIRO  
*Pranobilissimo, Amplissimo & Experientissimo*  
**DOMINO**  
**FRANCISC. BALTHASARI**  
**DE LINDERN,**  
MEDICINÆ DOCTORI ET PRACTICO  
PERSPICACISSIMO, FELICISSIMO,  
**DOMINO PARENTI OPTIMO,**  
VENERANDO,  
STVDIORVM SVORVM MEDICORVM PRIMO  
FVNDAATORI,  
AC FVNDAOTORVM INDEFESSO EXCULTORI  
*DISSERTATIONEM HANC INAV-*  
*GVRALEM MEDICAM,*  
IN DEVOTISSIMI ANIMI TESSERAM  
PERPETVVM FILIALIS AMORIS ET OBSEQVII  
SIGNVM,  
IN ALIQVALE DENIQVE, LICET HAVD SVFFICIENS  
INNVMERORVM EXHIBITORVM BENEFICIORVM  
REDHOSTIMENTVM,  
OMNI QVA PAR EST ANIMI OBSERVANTIA  
D. D. D.  
*FILIVS NVNQVAM NON OBSEQVIOSISSIMVS,*  
**JOHANNES MICHAEL BOEHM,**  
Auctor Responsurus.



## PROOEMIVM.

Xantlatis nuper per Dei gratiam  
examinibus Doctoralibus, atque  
habita, sub Praesidio Excellentissimi  
atque Experientissimi Domini  
Professoris EISENMANNI, Pa-  
tronii atque Praeceptoris pie colendi, dissertatione  
Præliminari, jussu ac indultu Gratiæ Faculta-  
tis Medicæ, Schediasma hoc, pro themate Dis-  
sertationis Inauguralis elegi, & nunc pro viribus  
tenuibus elaboratum, publicæ eruditorum  
disquisitioni subjicio: præprimis autem manda-  
tum Experientissimi atque summe Venerandi Do-  
mini PARENTIS, Medici ut in aliorum mor-  
borum,

borum, ita & in primis in hujus affectus cura-  
tione felicissima, undiquaque Celeberrimi, nec  
non desiderium atque cupido, accuratiorem no-  
titiam Theoreticam ejus mali possidendi, cuius  
tractationem Practicam felicissimam, quotidie mi-  
hi conspicere licet, me ad hoc thema prae omnibus  
aliis eligendum impulerunt. Quod si forsan B.  
L. in hocce opusculo deprehendet, me aliquid  
humani passum esse, id ipsum ut tenui ingenui  
modulo, debili judicio & juventuti tribuat, me-  
que amice corrigat, est quod enixe mihi expe-  
to. Cæterum Deum T. O. M. ardentissimis im-  
ploro precum formulis, velit & hancce disserta-  
tionem Medicam Inauguralem, Divina sua gra-  
tia ad exoptatum finem deducere, eoque ipso fe-  
licem laboribus meis academicis colophonem im-  
ponere, ac omnia eo dirigere, ut vergant in  
Nominis sui gloriam, Proximi ægrotantis com-  
modum, atque mei meorumque emolumen-  
tum. Tu interim B. L. vale, & porro  
fave, juveni de re medica maxime  
sollicito.

SCHE-

SCHEDIASMATIC  
MEDICO PRACTICI INAVGVRALIS  
DE  
MORBO VENEREO, NEAPO-  
LITANO DICTO,  
ANALYSIS.

§. I.

**V**enerous morbus, de quo in Dissertatione mea verba sum facturus In-  
gurali, dicitur *Neapolitanus*, non  
quod Neapolis illum primitus pro-  
duxerit; sed quod à Neapolitanis, in obsidione Neapolitana, cir-  
ca Annum P. C. N. 1494. & 1495., ad Gallos  
per traducem propagatus sit (a) à Germanis di-  
citur *die Venus Scuebe/ die Spanisch Pecken/*  
*Sucht/* à Gallis la grande Verole, ou la maladie  
Venerienne. Plures quidem alias, famoso etiam  
charactere, insignitas habet denominations, vel

A 3 à lo-

(a) Originis totius veram & genuinam historiam vid.  
in Joh. Astruc. Medici & Professoris Parisini li-  
bro de morbis Venereis, Cap. X. L. I. p. 52.

à loco, vel à sede, vel ab ejus fævitia, vel etiam à symptomatibus seu ab aliis petitas circumstan-  
tiis; de quibus omnibus, illa vero est potissima,  
quæ Lues Venerea seu Morbus Venereus audit.  
Cum affectus sit præternaturalis totius corporis,  
qui ob ejus symptomatum syndromen, teste JO-  
HANNE ASTRUC L. 6. (b) nulla genuina defi-  
nitione facile explicari potest, multis contagio-  
fus, ex impuro congressu potissimum contractus,  
à seminio vel miasmate quodam particulari, acri,  
summe corrosivo, transplantato, multisque cru-  
delissimis ac periculosis stipatus symptomati-  
bus totius machinæ hydraulico-pneumaticæ com-  
pagem, serum, sanguinem, lympham, carnem  
atque ossa depascentibus, quorum vero alia ab  
*acrimonia & corrositate*, alia vero à *Lentore & vi-*  
*scositate seri & sanguinis*, de quibus in sequenti-  
bus pluribus erit sermo, dependent.

### §. II.

Ad primam hujus morbi speciem sive sym-  
ptomata, quæ ab *acrimonia*, & inde dependente  
*corrositate seri & sanguinis* proveniunt, pertinet  
**GONORRHOEA**, fluxus ille Judæis olim jam fa-  
miliaris & execratus (c) sæpiissime Luem præ-  
cedens

(b) L. IV. c. I. p. 292.

(c) Levitic. Cap. XV.

cedens, ut & carnium suppurationes, pustulæ nempe varii generis pruriginosæ, dolorosæ, vel minus dolentes, varia etiam vesiculae opacæ & pellucidæ, fluentes & siccæ, crystallinæ dictæ, varia quoque pudendorum ulcuscula, Rhagades, Exulcerationes capitis, faucium aliarumque partium, imprimis autem glandularum, maculæ etiam diversorum colorum, ut plurimum autem subflavæ, fixæ & vagantes in cute, vel majoris vel minoris magnitudinis, scabies crustosa, circa tempora & frontem supremam, quandoque per totam corporis peripheriam, siccæ & valde urens, dolores nocturni, interdiu disparentes, somni tempore vero graviores, carnem ossiumque membranam summe sensilem dilacerantes & pungentes, præsertim circa meditum ossium, & prope articulos, tandemque denudationes & elapsus ossium: verbo Caries & Sphacelus, quæ omnia, ut ex causa maligna oriri solent, ita etiam quam maxime malignos edunt effectus.

### §. III.

Ad alteram vero quod attinet morbi speciem, nempe symptomata à *lentore & viscositate seri & sanguinis* provenientia, referuntur tumores varii, Bubones in inguine, duri & oblongi, juxta va-  
forum spermaticorum divaricationem propullan-  
tates, sub axillis etiam ut & circa aures, simili-  
ter

ter & Nodi & Gummata, item Tophi in artibus & capite, Verrucæ in pudendis & confiniis, Mariscæ & ficus & quæ sunt similia, cum quibus conjungitur imprimis animi miceror & tristitia, corporis virium languor, macies, tabes, febris lenta & putrida, sœpe etiam continua, ut plurimum lethifera, cachexia, inappetentia, vigilæ, somnolentia, sudor colliquatus, orthopnæa, obstrunctiones, vertigines, memoriae debilitas & conscientia læsa, ægrum indesinenter fatigans, cunctis symptomatibus fere pejor.

§. IV.

Tanta vero omnium recensitorum symptomatum est contumacia, ut sœpe nec ordinariis & vulgaribus, nec aliis etiamsi optimis adhibitis remediis cedant; singula enim testantur, ut modo diætum, de seminio seu miasmate quodam peculiari aut specifico, maxime activo & deleterio, acri ac phlogistico, viscido cuidam inclusio, quod an acidum exaltatum sit, aut alias profapie volatilis salinæ occultæ? (d) in dubio & eruditioribus examinandum relinquo; interim tamen veritati non contrarium est, naturam seu qualitatem corrosivam, hujus miasmatis, tantam possidere

(d) Vid. Theod. Zwingeri Medici quondam Basileensis Theatr. Prax. Med. Part. poster. p. 89.

dere activitatem, imprimis si malum inveteratum est, ut tandem, cæteris paribus, sævissima inducat vix corrigibilia pathemata, atque sua sævitia, mandibulas, gingivas, labia, genas, aliasque depascat partes, dentesque etiam arrodere eorumque casum producat, imo membrum ipsum virile, oculos, nasum atque faciem consumat vel deturpet. (e)

## §. V.

Et hæc quidem Lues, hodie vix aliter unanimi confessione omnium modernorum, contrahitur & propagatur, quam à contactu immediato, suspeçto nimirum & impuro coitu atque effluvio contagioso penetrantissimo; nunquam vero vitio spontaneo. Genitales enim libidine turgescentes partes utriusque sexus, quæ omnes fungosæ & molles sunt, & ab æstu venereo incalcentes, amplexus tempore, illoco effluvia virulenta ac corrosiva, per innumeros cutis poros patulos recipiunt, atque seminium Venereum in se absorbent & ad sanguinem amandant, malaque omnia memorata, imo plura haud narrabilia successu temporis excitant; finito amoris stimulo à semine in vaginam mulieris infuso, virus illud communicatur, quod omnes ejus partes

B prosta-

(e) Hac de re leg. Eustach. Rudii L. V. de Morb. occult.

prostatas , glandulas dictas Cowperianas & vaginales alias , Pterygia , Nymphas , imo Uterum ipsum conspurcat , ut etiam ob suam penetrabilem activitatem exinde embryo ipse , miasmate hoc summo activo inficiatur : Es kommen offtermalen von solchen Müttern Kinder zur Welt / mit Blattern und Flecken bezeichnet / so zu reden / gleich denen Tieger . Thieren . Negandum quidem non est , infectionem etiam fieri posse ab aliis causis , quæ vero non adeo frequentes sunt , sæpius quidem ab ingestis originem suam trahit , quod vero infortunium maxime infantibus tenellis , habitum corporis molliorem possidentibus , quique rarioris alias sunt texturæ accedit , si mammae conspurcatarum nutricum sugere cogantur , vel ab ipsis pulmenta salivali venereo humore imprægnata accipient : Welches bey vielen eine abscheuliche Gewohnheit ist / wenn das Kind keine Pappe überkommt / sie seye dann zuvor von einer solchen angesteckten Amme / oder unreinen natürlichen Mutter in ihrem garstigen Munde herumgewelhet worden / à quo inficiendi modo , Aphtæ ut plurimum in ore aut faucibus progerminant , quæ suctionem impediunt , ut tabe inde subsequente , mortem sape inferant ; in adultis eundem infaustum experimur successum , si more Gallicano basis se invicem inficiunt , aut mutuis utuntur infectorum poculis , ejusmodi impura saliva imprægnatis . Præ aliis etiam in ore ,

ore ; imprimis angulis & faucibus morbosa ex-  
citantur accidentia, qualem communicandi sœvi-  
tiam puella experta est, à Sacerdotis cujusdam pe-  
tulantis & ebriosi solo osculo, in facie carcinoma-  
te deturpato , cuius rei FOREST. exemplum al-  
legat. (f) rarius vero contagium communicatur  
per vestimenta, per sudorem, aut per aliud quod-  
dam commercium, nisi in dispositis, etiam si illud  
suspectum exemplum ab HILDANO (g) re-  
censeatur, virginis cujusdam 15. annorum, quæ  
ex mutatis immundorum caligis in Bacchanalibus  
Luem acceperat sibi funestam : rarissime vero,  
quod quam plurimi credunt, à Foricæ seu Clo-  
acæ infessu, communicatur. So heut zu Tag  
der meisten Schaltheit Deckel seyn soll. Mias-  
matis enim hujus indoles non est, ut tam facile  
in corpus potissimum sanum sese insinuans, par-  
tes ejus inquiet. Multo minus, ut alii opinan-  
tur, in distans tam fugax est, ut ex loco in locum  
effluvia sua per auras vagantia emittat, corpora-  
que contagio efficiat.

## S. VI.

Quæ itaque impurum coitum pro causa  
agnoscit Lues, ab initio sæpiissime Gonorrhœam  
B 2 excipit.

(f) L. XXIII. Obs. 2.

(g) Cent. I. Obs. 100.

excipit , conjunctam habet materiam post 4tum  
5tum aut etiam 10mum diem , primitus ex albi-  
do cinereum viscidam , à concepto seminio vene-  
reo extillantem , postmodum faniosam fetidam ,  
ex albido flavam vel subviridem , acrem , eroden-  
tem , lymphaticam , graveolentem , per genitalia  
utriusque sexus effluentem , ambarum prostata-  
rum collo vesicæ substratarum , hinc & vesicula-  
rum seminalium , ad latera principii urethræ sita-  
rum , & testiculorum nimiam relaxationem , para-  
lysin aut erosionem ( h ) cum ardore urinæ sum-  
mo , quandoque erectione penis dolorifica , involun-  
taria , cum vel sine chorda ( i ) præputii &  
glandis tumore phlogistico , ac inflammatione ha-  
rur partium & ulcusculis varii generis , quæ ve-  
ro omnia ab experto Medico , malum si adhuc  
recens est , in viris sub Diæta conveniente , brevi  
temporis spatio , non vero tribus quatuorve die-  
bus , sed potius tot septimanis curanda sunt , pur-  
gantibus aliquoties repetitis ( k ) fortioribus ( l )  
quan-

( h ) Rarissime etiam fit ut absque ulla suppurationis ,  
exulcerationis & erosionis indicio , humor putris &  
viridis ex urethra aut vagina extillet , qualem ef-  
fluxum Alexius Littré Obs. Memoires de l'Acad.  
de Science 1711. nobis proposuit.

( i ) Evolv. Hist. morb. Vratisl. An. 1701. p. 299.

( k ) Vid. Dissert. sur les maladies Veneriennes de Mr.  
de la Mettrie p. 67.

( l ) Vid. Devaux in Annot. ad L. III. Carol. Musit. de  
Morb. Vener. C. II.

quandoque solis, quibus ♀alia & Rhabarbarum addita sunt, ♀ corallatus Helmontii, ♀ dulcis, Panacea ♀ii, Arcanum corallinum, aut Pilulis ē ♀io vivo ad normam Argentoratensium paratis aut sequentibus.

R. Extr. Aloës 3.  
Elleb. nigr.  
Rhabarb.

Gumm. ammon. depur. 3ā. 9ij.  
Bals. de Copaiw.  
♀ dulc. rite pt. 3ā. 9j.  
Camphor. 9ß.

M. f. c. Elix. Propr. Pil. pisi minoris magnitudine, de quibus pro dosi xxx. sumenda, interpositis diureticis vias trinales abstergentibus, Tinctura ♀ii acr., Tinctura Tartari, Ess. Lign., Succin. &c. aliisque seri & sanguinis correctoriis, succinatis, Terebinthinatis, Testaceis, Conchis, Lap. 69., Matr. Perl., ♀io diaphor., Cinnabari ♀ii & nativa, in primis autem si semel aut bis in hebdomate, cacoehymicis in corporibus sudor instituatur blandus, & decocta sumantur alexipharmacæ, & sanguinem depurantia, ex lignis exoticiis parata. v. g.

P. Lign. Sanct. c. Cort. 3ij.  
Saffafr. 3j.  
Rad. Sarfæp.  
Chin. 3ā. 3ß.

B 3

Inc.

In. Cont. infund. per noctem in  $\nabla$  font. ferventis it. x. postmodum bulliant igne leni, in vase optime tecto, ad tertiae partis consumtionem, sub finem addendo

Rad. Liquir. ras.  $\frac{3}{2}$ j.  
Fol. Senn. mund.  $\frac{3}{2}$ b.

ter per diem, de liquore colato calide  $\frac{3}{2}$ vij. usurpando. Loco vero potus ordinarii esto, Dextum Hord., Avenac., Rad. Chin., vel Lign. Sassafr. & Liquir. c. pauxillo crystalli Mineralis vel Ori depurati paratum, concedi quoque potest lac Vaccinum cum  $\frac{3}{2}$ plo  $\nabla$ æ simpl., addito parum SSri, decoctum, ad compescendum vero conceptum in genitalibus fervorem & impressam acrimoniam contemperandam: commendantur interne Emulsiones ex Sem. 4. frig. major., & minoribus, cum  $\nabla$ . Nymph. vel plantaginis paratae & quæ sunt similes, quibus & Dysuria & Chorda dispelluntur; externe vero liquores injiciuntur ex decocto Rad. Alth.,  $\nabla$  Sperm. Ran., & parum Sacchari tñi parati, vel potius ad mentem Dni D. HUNDERTMARCK. *Tractatu von der Venus. Seuche p. 125.*

$\frac{1}{2}$ . Bals. Peruv.

d. Copaiw.  $\frac{3}{2}$ a.  $\frac{3}{2}$ j.

Vitell. ov. N. 1.

Misc. exacte, quo facto add.

$\frac{3}{2}$ ii dulc. alcohol.  $\frac{3}{2}$ j.

& cum  $\frac{3}{2}$ vj vel viij.  $\nabla$  Plantaginis f. Emuls. Dominus

minus D. METTRIE aliam commendat quasi specificam in dissertat. citat. cuius verba sic sonant pag. 28.  
*Si les injections sont utiles ce sont celles, qui sont douces, amies des nerfs & dont on se sert au commencement de la Gonorrhée. Par exemple prenés de l'eau de rose & de sureau deux onces de chaque, d'Aloès trois grains, de miel deux drachmes, cette injection n'est aucunement dangereuse, pourvu qu'on ne la pousse pas avec impétuosité, au contraire elle est très salutaire, puisqu'elle relâche les vaisseaux, & attire par consequent la matière au dehors.* Et cum saepissime tumidum etiam sit præputium ac inflammatum, glandi imponere fas erit, cataplasma ex herbis emollientibus, Hyoscyamo, Malva, Flor. Verbasc., Sambuc, melilot., Rad. Alth. Sem. Lin., Fœn. Græc., Farin. Fabar. & tritic., cum lacte & oīis coctis, chamomill., Lil. alb., Rosar. vel etiam Emplastra ex Mucilaginibus parata, hæc sola quandoque omne tulere punctum; ut taceam curationem peculiarem, salivationis levioris procurandæ gratia instituendam, quam Dn. ASTRUC. in suo Tractatu commendavit. Majoris vero momenti est cura in foeminis, quæ difficilior est ac longiorem exposcit remediorum continuationem, quam in viris, cum eorum genitalia molliora, humidiora & magis atona sint, simulque etiam hoc stolidicium, sub fluoris albi nomine tamdiu negligunt, donec copiosis obortis pustulis muliebria arrodenibus, dolor

&amp;

& dysuria, mitior quidem ac in viris oriatur , hac enim ratione non potest non, hæc atonia relaxatis sic partibus, ob perpetuum humoris acrioris afflum, difficilius curari. Cum autem in utroque sexu, fluxus hic inflammationem partium genitalium comitem habeat , quæ ne majores facere possit progressus, Gallorum more sanguinis missio nem, nisi æger Anæmia laboret exposcit, & quidem in ea dosi ut natura illam sentiat, vel in brachio vel in pede, præprimis si simul æger uti dictum dysuria sit vexatus : nullum enim præstantius remedium , vel in ipso statu morbi ad imminendum corporis æstum est Venæsektione , quæ quo sæpius instituitur , eo melioris est effectus. Tandem correcta sic Materia, tonus partium labefactatus restauretur consolidantibus , junctis mundificantibus medicamentis, sub varia forma adhibitis : ex quibus commendantur Succin. ppt., Croc. ♂tis adstring. , Crocus ♂tis ♀ iatus Stahlii, Bolus Armena , sanguis Draconis, Mastix, √ Japon. & Sigillata , itemque Alumen Rupeum ut & os sepiæ crud. , potius alcoholisatum quam præparatum, & famosus ille corticis pulvis Simaruba dictus ; omnia hæc ut plurimum ingrediuntur conservas aut Pilulas , è pilulis magni alias æstimantur usus, sequentes

**R.** Terebinth. Ven. Coct.  
Extract. Rhabarb. aa. 5j.

Tomentill.

Bals. de Copai. aa. 3ij.

Terr.

Terr. Japon.

Mastich.

Off. sep.

Qri áá. ȝȝ:

Camphor. ȝj.

M. f. c. a. Pil. pisi magnit. ter. de die XI. sumendæ.

## §. VII.

Accidit autem sæpe malo ægrotantis regimine, & à medentis imperitia ut cum Gonorrhœa, vel post illam, retenta nec sufficienter expulsa, aut præmature suppressa materia virulenta, dolores inducat in lumbis & hypogastrio (m) tumidosque reddat testiculos, aut metastasin infert ulcerosam vesicalem (n) id quod haud pridem accidisse recordor; quæ tamen omnia per revocationem pristini fluxus virulenti purgantibus, conjunctis sudoriferis, emollientibus ac demulcentibus, corrigenda sunt, præmissa inunctione cum Ungto Dialth., & ȝȝ Rosaceo, fotibus simul admotis & cataplasmate §. antecedente jam memorato: cui vero in momento impositio-  
nis ~ Matrical. aut Spir. Vin. Camphorat. addendus, & ut melius res ex voto succedat, simul per totum morbi decursum refrigerantibus mor-

C bo

(m) Conf. Hist. Morb. Vratisl. An. 1701. p. 295.

(n) Vid. de hac re Georg. Frid. Reimans vollständige Anweisung zur Prax. Med. p. 477. §. 9. &amp; cit. de la Mettrier p. 73.



bo testiculorum inservientibus insistendum, deco-  
ctis nempe & Emulsionibus supra descriptis; &  
ne calor febrilis, ab hac scrota si dicere fas est her-  
nia oriens, invalescere possit in brachio vel in pe-  
de, pro ægrotantis viribus & temperamento in  
justa atque satis proportionata quantitate sanguis  
è vena, majori facta incisione , mittatur.

### §. VIII.

Non minori incommodo atque periculo  
etiam fieri solet easdem ob causas, ut tumor quan-  
doque appareat in Inguine, in glandulis lymphati-  
cis congregatis ibidem latitantibus , quando nem-  
pe liquor seminalis virulentus, per peculiares lym-  
phæ ductus, in utroque sexu adiectus & infixus,  
quasi nullum exitum fortitur ibidemque ichore-  
scit , qui primo ab incarcerationis tempore ex al-  
bido rubicundus est , paulo post rubicundior &  
splendidior redditur , demum ex nigro rubicundus fit , cum vel sine ardore pulsatorio , lanci-  
nante & æstu maximo. Hic tumor Bubonis Ve-  
nerei nomine venit Germanis ein **Schläfer oder**  
**Venus-Baule** / qui si altiores jam egerit radices  
statim ad suppurationem, non vero ad resolutio-  
nem deducatur cataplasmate emolliente cum la-  
ete ex dictis Herbis vel etiam fortioribus simul  
attrahentibus semine Sinapi, Erucae , Cepis, sub  
cineribus coctis, fimo columbino , croco, Cam-  
phora , Empl. diachyl. cum Gummat., Ungt.  
Basili-

Basilici , Sapon. nigro , Fermento acri in forma  
pultis mixtis parato. Omnibus vero præferen-  
dum illud est, quod Astruc in libro III. cap. 5.  
pag. 227. divulgavit

- R. Cepar. sub cineribus coct. ȝij.
- Sapon. nigr.
- Ungt. Diachyl. c. gummat ȝȝ. ȝjȝ.
- Basilic. ȝj.

Conter. omnia in mortario marmoreo ad formam  
pultis, f. Cataplasma. Ipse bubo dein instrumen-  
to , non autem cauterio potentiali ( o ) mature  
& conveniente modo aperiatur, ad evitandam ni-  
miam ulceris cavitatem. Hoc modo optime  
præcavetur ipsa Lues Venerea alijs subsecutura.  
Quodsi autem juxta quorundam opinionem, ma-  
turationis punctum sponte accedens, nimis quam  
par est expectetur , facilime metastasis fit mate-  
riæ malignæ in perfectam Luem Venereum tran-  
siens ; interim tamen non omitti debent expel-  
lentia atque sanguinem purificantia ut & purgantia  
mitiora , fortiora enim magis nocent quam pro-  
funt, illa infra sub Luis cura evolventur : cœte-  
rum post aperturam tractandus est ut ordinarius  
abscessus, nisi quod quotidie bis detergendus sit,  
atque Ungto mundificativo balsamico quo lin-  
tea carpta imbuuntur deligandus, postmodum  
cavendum ne ex neglecta convenientium medi-  
camis,

C 2

( o ) Vid. Astruc. p. 196, nro. 11.

num adhibitione bubo exsurgat fistulosus ; Ex omnibus vero digestivis sequens eligi potest

℞. Ungt. Digest. c. Vitell. ov. par. ʒiv.  
de Styrac. ʒβ.

Balsam. de Copai. ʒij.

℞ Hyperic. ʒi.

Elix. Propri. f. + do ʒvj.

M. f. l. a. Ungt.

### §. IX:

Supereft ut Luem ipsam de qua mihi pri-mario sermo est. quibus nempe remediis, qui-busve etiam cautelis sanetur aggrediar; ad quod opus rite peragendum duas faltem offendit vias, unam meliorem, per *Ptyalismum seu Salivationem*, alteram vero per *κάθαρον* seu evacuatio-nem & depurationem humorum mediantibus purgantibus atque sudoriferis Alexipharmacis: priorem quod attinet, instituenda est in subjectis non nimis delicatis nec cacochymia falsa aut aliis ægritudinibus divexatis, præmissis præmittendis purgantibus, Venæ sectione & Balneis aliquibus, ♀ialibus Luis, genuino antitodo, ( p ) interne vel externe securè adhibitis, interne ♀io dulc. rite & propriis manibus ppto, ♀io violaceo & luteo vel etiam

( p ) Verbis Rondeletii Libr. de Morb. Ital. in fine libri Argentum vivum esse Luis Alexipharmacum pro-priumque antidotum, quod rite exhibitum vi-res præstet admirandas.

eliam Panacea ♀iali, ♀io nempe multoties sublimato  
à gr. v. ad x. ascendendo, quotidie semel vel bis  
pro circumstantiarum ratione, per aliquot dies per  
os exhibito, potissimum in pilulis; vel quod con-  
sultius & securius Pilulis Venerandi Domini Pa-  
rentis mei Pomes d'Apis dictis è ♀io bene loto  
& bene etiam à particulis suis heterogeneis plum-  
bagineis & arsericalibus peculiariter encheiresi li-  
berato, cuius exhibendi modum, annexis caute-  
lis, optime in hoc salivationis opere considerandis  
descriptum in speculo ♀ris suo noviter polito pag.  
**512.** proposuit, hic ♀ nullo non tempore in omni  
ætate omnibusque in subiectis à lue venerea in-  
quinatis, modo deglutiendi facultas adsit, etiam  
in desperatissimis Luis cruciatibus ac erosionibus  
effectus edit saluberrimos. Externe vero ungu-  
niosis utendum, non vero butyro (q) nempe un-  
guento ♀iali olim Saracenico dicto ex Axungia  
Suillæ aut unguenti Pomadi ȝij. & ȝj. ♀ ii vivi  
optime depurati aut potius è cinnabari redivivo  
& pauxillo Therebinthinæ vel etiam anaticapor-  
tione compositis & in formam unguenti redactis,  
quod prægressis purgantibus ac balneis sub Diæ-  
ta tenui, manuum carpis & juncturis brachiorum  
vel pedum, prægressis frictionibus per linteamina  
calida, mane & vesperi ad rubedinem usque, dicta-  
rum partium per tres dies illinitur, donec intra-  
cutim sese insinuet vel donec inflammatorius tu-

C 3

(q) Astruc. Libr. IV. Cap. VI. p. 353. S. 4, no. 5.

mor in ore, & dolor ac foetor sub acidulo-nauseofus instantem ptyalismum induxit, tunc à frictione desistendum atque locus inunctus linteis deligandus est, & sub diæta modo diæta accurata & rigorosa, altero sanitatis fulcro, imo quoque sub potibus ad hanc operationem conducibilibus largiter assumitis, affluxus salivæ quam maxime expectandus est, qui intra nyctemeri spatum ad iiii aut plus ascendit. Quod si vero nimis languidus sit ptyalismus, stimulatur assumitis § ii dulcis gr. XV. vel Turpethi Min. gr. V. vel VII. modo non recusat naturæ constitutio; Si modum excedat salivæ effluxus, medicamento Cathartico aut  $\Delta$ lis Alcoholifati exhibitione supprimuntur. Cumque sèpissime gravis diarrhœa spontanea ptyalismum cohibens accedit, theriacalibus & opiatis, refræta tamen dosi interne & prudenter adhibitis, externe vero clysteribus è lacte, Therebinthina, vitello ovi, atque cuspidi cultelli Theriacæ aut Philonii Romani paratis absque ullo metu subsequituræ mortis sistatur.

## §. X.

Hæc methodus per frictionem non vero per suffumigationem (r) instituta, ab acutissimo Luis  $\varphi$  ex perscrutatore Dom. ASTRUC. in Tract. cit.  
adeo

(r) Rationem vid. Mr. Dibon Dissert. sur les Malades Veneriennes T. II. p. 423.

adeo laudatur, ut cæteris omnibus ſialibus ore exhibendis anteponat, dum ab eorum uſu, non modo tonus ventriculi debilitetur, & vires infringantur, quod ſane magnum eſt, ſed etiam quod maximum ſanguinis acrimonia augeatur, ut ulcera que in conceptaculis ſeminis latent aucta ſanguinis dyscrasia nedum fanentur ſed & maligniora fiunt & curauſ diffiſiliora. An vero hujus viri doctissimi verba & hypothesis veris & firmis nixa ſit fundamen‐tis inter doctos, uti opinor res nondum penitus eſt deciſa; exempla enim proſtant ubi plurimarum hac methodo inunctionis tractatorum, reſtitutio nec tuta (s) nec durabilis fuſit, in priftinas enim miferias iterum inciderunt ægri; (t) Nec mirum Hydrargyrum enim tan‐quam metallum fluidiſſimum ac ponderiſſimum maximeque in globulos indefinite multiplica‐ble, crudum & impurum in totius corporis poros ſeſe inſinuans partim ob gravitatem ſuam, partes premendo & expandendo, partim vero ob accessus diverſorum Œinorum liquorum, alterationem (u) plurimaque gravia indu‐cere

(s) Joh. Waldſchmidt. Oper. Med. Pract. Cæſ. Med. L. VII. Cæſ. II. p. 621.

(t) Vid. Sebaſt. Aquilini Epift. de Curis ægritudinum particularium C. III. Fallopii Tract. de morbo gall. c. LXXVI. & Ulrici de Hutten liber. de morbo gall. curat. C. IV. & XI.

(u) Conf. Hoffmann. Med. Rat. Syſt. T. II. C. VI. de virulenta Mercurialium noxa S. XI. pag. 1471

cere solet symptomata , atque ossa arrodere & non-nunquam hominem probabiliter sanum , viribus omnibus fractum interimit , qui vero fatalis even-tus nunquam à  $\ddot{\text{x}}$ io intus sumto , à perito Medico exhibito expe $\ddot{\text{c}}$ tandus est. (x) Similem tristem  $\ddot{\text{x}}$ ii illiti ca $\ddot{\text{s}}$ um Venerandus Dnus Parens meus in suo Speculo pag. 450. proposuit, cuius exem-ti quantitatem 5ij. pondere ni fallor adhuc in no-stro egregie extra $\ddot{\text{c}}$ to Theatro Anatomico con-servatam , cuivis visui exponi solet , quod & con-firmat Mr. de la METTRIE Dr. en Medecine in suo systemate BOERHAVIANO in Tract. sur les Maladies Veneriennes p. 42. (y)

## §. XI.

Cum autem in salivationis opere à particu-larum summe aetivarum acrium & corrosivarum venerearum acrimonia & Hydrargyri gravitate tunicas vasorum nimium distendente , ( non vero ab ejus acredine , cum omnis acrimoniæ expers-fit (z) glandulosæ partes oris & buccæ inflam-mentur

(x) Vid. porro Hoffmannus l. c. §. XIV. Et in scho-  
lii fine ejus rationem.

(y) Vid. de hac re & Joh. Langii Epistol. L. II. Epist.  
43. Gabr. Fallop. l. c. Cap. 76. It. Hermannus  
Boerhaave Mercurium obseruantem in celluloso  
curiosæ diploes effusum stagnare.

(z) Astruc p. 141. in fine & Boerhaave in Præfat. edi-tioni Lugd. Bat. Aloysii Luisini Præfixa.

mentur atque exulcerentur ; hinc ad præcavendam dispositionem gangrænosam gargarismate demulcente , inter salivandum , ex solo laetè , aquæ triplo incoeto , vel decoeto flor. Sambuc. & ficuum cum vel sine aliis emollientibus & semine lini , cydoniorum aut psyllii , parato , ac sèpius per diem injecto mitigetur ; aut sequenti.

R. Rad. Alth.

Liquir. 3*æ*. 3*ii*.

Herb. Prunell. 3*β*.

Flor. Sambuc.

Malv. Ros. 3*æ*. 3*j*.

Sem. Cydon. 3*ij*.

Caric. Ping. Nn. iij.

Inc. Coq. c. f. q. ∇; font, colat. 3*xij*.  
quibus adde

Syr. Papav. Rh.

Rob. Diamor. 3*æ*. 3*ij*.

Ori pur. 3*ij*.

M. D. S. Gurgel-Wasser.

Finitis tribus vel quatuor septimanis finitoque etiam ptyalismo atque doloribus profligatis , sub reiterata evacuatione & balnei usu , lectum & vestimenta immutanda sunt , simulque ne recidivam patiatur æger , per unum vel alterum mensem bis in hebdomate continuandus est 3*ii* usus internus , una cum regimine diætetico exactissimo temperante & humectante.

## D

## §. XII.

## §. XII.

In altera Methodo Sudationem concernente, quæ vero non tam efficax est quam Ptyalismus, licet GABRIEL FALLOPIUS Mutinensis *in Tractatu de Morbo Gallico Cap. 59.* illam regiam certam ac tutam, qua morbus Gallicus certo sanatur appellaverit, & consuluerit, ut omnes ea apud suos ægrotos utantur. Per intervalla quoque instituenda est alvi evacuatio pro subiecti conditio-  
ne vel fortior vel lenior, pilul. è ♀ viv. par. vel ex Extr. Panchymagog. Croll. aut Extr. Cathol. cum ♀io dulci confectis, quæ ♀ii præparata omnia resolvendi & fundendi fine, non salivandi, illis addi solent; reliquis vero diebus intercalaribus assumuntur decocta sudorifera ex Lign. (a) Guajaci & ejus corticibus Lign. etiam Sassafr. Rad. Bardan. (b) Chinae Petafitidis, Polypodii cum passulis, semine Anisi vel Coriandri concinnato quibus inter coquendum in vase optime clauso vel ḡ grosse contusum aut etiam ♀ vivus in pet. ligatus immittuntur, de quo si decoctum bene saturatum ȝvij. calide ad provocandum sudorem per unam alteramve horam durantem bibantur interpositis tamen alterantibus ♀ialibus, Δe Oto, ḡ diaph.

- (a) de ligni hujus efficacissima in Lue Venerea virtute præ aliis optime scribit Huttenus l. c. de morb. gallici curat. per administr. lign. Guajac. c. 6.
- (b) Vid. Simon Paul adri part. Bot. p. 363. & Bagliv. libr. Prax. §. 1. de Lue Ven.

‡ diaph. ejusque cerussa, Bezoardico Minerali,  
Regulo ‡ii Medic., Cinnabari ‡ii, Tinctura Me-  
tall. genuina, Ess. Resolv., Extract. Viperar.,  
Extr. Fumariæ, Liq. CC. succinato, Gummi Na-  
tivo, Resina Guajaci & quæ sunt similia. De-  
coctum vero sic parandum est omnium præstan-  
tissimum.

¶. Lign. Sanct. c. Cort. 3ij.

teratur quantum possibile in pulverem & irrore-  
tur Arcano Tartari vel Liquore Olii fixi, digera-  
tur in vase bene tecto per aliquot dies in balneo  
arenæ aut cineribus calidis, postea eximatur &  
addatur

Rad. Chin,

Sarsæp. aā. 3jß.

Liquir. 3j.

Myrrh. Elect.

Cinnamom.

Cort. Winteran. aā. 3c.

Inc. affund. aq. simpl. aut potius pluvial. ferventis  
ibxij. ac adde

‡ii viv. in cor. dens. lig.

‡ii crud. pet. munit. aā. 3v. omnia

Invicem coq. in vase mediante fermento opti-  
me lutato operculoque tecto, per horas aliquot,  
refrigeratus liquor coletur per linteum & ser-  
vetur, in vitro bene munito. Quæ methodus  
porro in graviori malo & personis robustioribus  
eo extendenda est, ut anteposito Medicamen-  
to præparatorio atque V. S. instituta die-

D 2 bus

bus à purgatione , quæ quater aut quinques re-  
petenda , tribus vel 4. interpositis diebus vacuis ,  
mane & vesperi sudetur Balneo Laconico , in Co-  
nopæo seu Papilione , melius vero in Stupha Gallis  
*dans l'archet* diæta aut doliolo sudatorio , in einem  
**Schwitz-Kasten** / corpore adusque caput undi-  
que tecto , & juxta posito Spir. Vin. rectif. in  
scutella non admodum ampla accenso , ita tamen  
ut ante sudatoris ejus usum prius ȝvi. vel viij. de-  
cocti sudoriferi optime calidi ebibantur aut aliud  
quoddam diaphoreticum exhibeat , ex pulv.  
Bezoard. Miner. , Theriac. , Tinctura Bezoard. ,  
Essent. Alexiph. , Mixt. simpl. & aliis concinan-  
tum , qua methodo sub diæta humectante & re-  
frigerante continuandum , donec omnis metus  
restitantis miasmatis penitus evanuerit.

## §. XIII.

Dira sane & quandoque rebellia sunt Luis  
& ex symptomata , præfertim antiquata , ut non so-  
lum internis ipsi morbo debitis vel exquisitis reme-  
diis cedant , verum etiam simul externam exposcant  
curam , junctis simul internis ut illorum opera-  
tio melius succedat . Pustulæ & exulcerationes  
oris & fauicium , virgæ aliarumque partium tra-  
ctantur ▽ calcis viv. saturata , ▽ giali vel etiam  
Collyrio Landfranci & præter hoc in extimis par-  
tibus profundisque ulceribus , ♀ præcipitato &  
dulci in pulverem subtilem trito , Lap. Medica-  
mento-

mentoso, aliisque liquoribus è ſio ſublimato confeſtis. Dolores in muſculofis partibus, profligabit unguentum ♀iale calide aliquoties inun-  
dum, una cum ſudore per Dētum Sarsēparillæ & Elect. Diaſcord. Fracaf. inſtituendo, & pilulis lenientibus ♀ialibus, Tibiæ, spinæ, Emplaſtr. de ran. Vigon cum ſio, diaphoret., Oxicroc. de ammoniaco & Galban. quibus parum pulveris cantharid. ne tamen veficas excitet addatur, imposita conveniunt, pro lubitu & tibia fascia circulari, infra incipiendo; ligari poteſt. Sequens emplaſtrum pro norma eſte poterit:

M. Gum. ⋆ci depur.

Galban.

Picis alb. Ȑā, ȝȝ

ȝii præcip. alb.

Balfam. Ȑris thereb;

Camphor. Ȑā ȝj.

Ȑo Solan. q. f.

M. F. Empl.

Quandoque etiam fotus ex Dēto Herbarum ner-  
vinarum vaporosi auxiliantur, atque haec ipsa to-  
phis & nodis resolvendis apta ſunt. Ad oſſium  
cariem occultam vel manifestam conducent ▽.  
Vitæ, Ra. Myrrh., Aloës, Euphorbii, quibus oſſa  
mediante penicillo leviter tanguntur, donec oſſum  
mundatum fit; vel scalpro nigredo ejus abra-  
ditur aut cauterio actuali deuritur, ad ſpontaneam  
eius exfoliationem feu lamellarum oſſis feceſſum.

D 3

Ulcus

Ulcus narium consolidabit ∇. Calc. Viv., ſius præc. ruber super quo aliquoties Sp. Vinialcoholiſatus deflagravit; fanabunt eadem & aquæ phagēdenicæ, ∇. virid. Hartmanni, Elix. Propri. fine acido, aliquie liquores, omnes vero ſiphone injiciendi, quorū penicillo penetrari nequit. In Alopecia, renasci faciunt pilos, lixivia Abrotan., Capill. ſis, Fabar. Lupinorum, cinerum nucum juglandium aut nucleorum amarorum, item Ⓛ in ſucco Limonum ſolutum. Optimum vero remedium capillamentum artificiale eſt *une comode Peruque.* Rhagades complanantur Unguento ſiali, Pomadino, Enulato c. ſio, mucilagine ſemin. Cydon. cum vel ſine ſio. Ad veſicas crystallinas confert, Empl. de Cumino, & caruncula penis tollitur candela ex Empl. de ranno cum ſio faſto vel potius cannula quadam per cuius extremitatem hiantem cathæretica applicanda, vel instrumento peculiari, Medicis Peritissimi Dresdensis SPARMANNI, haud pridem invento, cuius efficacia ab ipſo ita æſtimatur, ut omni tempore illam ex voto praefare dicat.

#### §. XIV.

Hæc itaque optima via eſt & facillima ac tur-  
tissima per Mercurium, metallum in Medicina opti-  
mum atque penetrantissimum mediante ſalivatione  
quosvis morbos & eos curandi, modo in vitæ re-  
gimine omnis vitetur excessus, & licet non omni  
tempo-

tempore ab usu externo vel interno ¶ ii insequatur  
salivatio quamvis vel centies frictio partium insti-  
tuatur, aut ¶ius ad unciam usque aut plus in pilulis  
aut alia sibi forma exhibeat; nihilominus tamen  
eosdem effectus praestat, ac si salivatio legitime mo-  
ta foret, modo usus ejus internus semel aut bis in  
hebdomate continuetur, donec symptomata qua-  
vis ægrum excruciantia evanescant Seminium-  
que Luis &æ radicibus extirpetur. Hæc sunt quæ  
pro ingenui modulo ex authoribus optimis, &  
ex Praxi Clinica Venerandi Domini Parentis mei  
conquisivi, Boni hosce conatus levidenses, uti  
spero non aspernabuntur. Deo T. O. M. pro  
concessis hæc tenus benigne viribus sit Laus  
& Gloria in secula seculorum.

T A N T U M



**G**est doch endlich noch das frohe Licht erschienen  
 Da Deine Muse sich auf dem Catheder zeigt,  
 Dein Wissenschaft und Glück muss wachsen, blühen, grünen,  
 Doch mache das der Feind, nun überwunden schweigt.  
 So kan in Straßburg sich manch inficirtes freuen,  
 Von welcher Wissenschaft dein Fleis heut Proben giebt,  
 Gerechter Himmel lasz mir meinen Wunsch gedeyen!  
 Es werde Dir zu Theil was Deine Seele liebt.

Dieses wolte aus brüderlicher Neigung hinzusezen  
 Dein getreuer Bruder

M. Joh. Christian. Boehm, SS. Theol. Cand.

**D**u, geehrter Freund / anheute disputirest,  
 Und uns den wahren Lauff der Krankheit deducirest,  
 Die aus Neapolis den Ursprung bergenommen,  
 Und wie von dorten sie heraus zu uns gekommen;  
 Uns aber auch zugleich die Mittel dargethan,  
 Wodurch man selbige gar wohl curiren kan.  
 So muß in Versen ich Dich meinen Freund besingen,  
 Doch will mir solches fast auf keine Art gelingen,  
 Deswegen stelle Dich mit diesem jetzt zu frieden,  
 Dieweil vor dieses mahl kein andre mir geriethen:  
 Der Himmel gebe Dir ein tausendsach Vergnügen/  
 So kanst Du Unglück, Hass und Neid damit besiegen;  
 Und wann Dir Phoebus wird den Doctor Titul geben:  
 So wird ein schönes Kind zu Deinen Diensten leben:  
 Das wünsch ich Dir und sez zum Ende noch daben,  
 Das ich Dein treuer Freund und stäter Diener sey.

Chr. Lud. Boecler, LL. C.

(s) \* (s)


Strassburg, Med. Diss., 2.


ULB Halle  
004 194 284

3



56.





Typis, MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.